



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 209. Quid circa vocalem expressionem & recitationem cum socio vel in choro.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

& Rogationum, tamen putant litanias non posse addi, tum quia non notatur, ut conjunctim dicantur, tum maximè, quia sunt loco assistentiæ ad processionem, quæ assistentia non potest anticipari, sed ipso die S. Marci & Rogationum observari debet. Oppositum docent *Gavant. Arnaud. Gob. Lohn.* de Horis p. 2. T. 2. §. 12. n. 3., nempe posse litanias etiam pridie addi laudibus, quia accessorium sequitur principale, quòd autem sint accessorium Laudum, patet inde, quia propterea in his omittitur, *Et fidelium animæ*; Ut autem satisfiat obligationi ad litanias, non est satis interesse processioni, sed debet ille, qui obligatur, alternatim canere vel recitare cum aliis, aut si mos sit, ut ab aliis decantentur, saltem devotè & attentè audire, *Stoz. n. 418.*

1293 §. V. An illi, qui non utuntur Breviario Romano, sub mortali ad Officium Defunctorum & litanias, uti & ad psalmos pœnitentiales & graduales suis diebus obligentur necne, spectanda est consuetudo loci, *Less. Laym. Gob. n. 66.* Et videtur probabiliùs etiam quoad priora idem dici de illis, quod diximus de utentibus Breviario Romano. Circa Officium B. Virginis videri potest etiam *Sylv. p. 1. v. Hora cas. 2.*

1294 Q. 209. Quid addendum circa vocalem expressionem & recitationem cum socio vel in choro. R. Seqq.

§. I. *Med.* putat eum non satisfacere, qui non recitat ita altè, ut à præsentibus audiri posset, sed *Beja* p. I. cas. 55. rectè eum confutat. *Az.* & alii, quos adducit *Busenb. n. 1237.* relatus, putant sufficere solam verborum articulationem, licèt ab ipso etiam recitante percipi nequeant: Idem putarunt plures apud *Moyam* T. 1. T. 2. d. 2. q. 2., sed dicendum est cum *Castrop. T. 7. d. 2. p. 3. n. 6.* & aliis

com-

communiter, debere ita proferri, ut te posses audire, si nullum foret impedimentum, quia verba, quæ auditu percipi non possunt, non videntur esse verba, sed potius inchoatio verborum facta in gutture vel intradentes.

§. II. Satisfacit, qui recitat cum socio, etiam laico, non obligato, non attento, imò non audiente, *Pelliz.* T. I. Tr. 5. c. 8. n. 91. *Dian.* p. 7. Tr. 11. R. 6. *Gob.* in Exp. T. 5. n. 691. *Stoz* l. 1. p. 3. n. 404. : Facilius tamen est satisfacere, si quis recitet solus, quàm si recitet cum socio vel in choro, nam si recitet solus, probabile est non obligari ad attentionem internam, ut dicitur n. 1341., si autem recitet cum alio, probabilius est cum *Diana* p. 2. T. 12. R. 2. contra *Caram.* in Th. fund. n. 2463. teneri audire & attendere ad id, quod socius recitat, alioquin non communicat id, quod ab illo dicitur, nec partem illam facit moraliter suam, ita *Tamb.* in Decal. l. 2. c. 5. §. 4. n. 10. *Gob.* supra, *Stoz* n. 404. Quòd si attendat, quantum moraliter potest, putant *Tamb.* n. 12. & alii apud *Gob.* n. 692. satisfacere, dummodo in confuso audiat, quamvis propter culpam socii vel chori nihil distinctè percipiat, & probabile esse dicit *Pelliz.* n. 39., sed *Castrop.* n. 7. contradicit, quia quamvis velit, tamen re ipsa non facit illam Orationem suam, cum re ipsa eam non percipiat; quod contra eundem *Tamb.* magis valet in surdastro: Attamen posse percipere fructus & distributiones admittunt *Nav. Suer. Bonac.* alique cum *Castrop.* Et notant *Az.* & *Gavant.* eum, qui recitat cum aliis, satisfacere, si attentè audiat verba plurium, ac si ab uno tantum dicerentur, licet non distinguat verba singulorum.

§. III. Qui recitat cum blæso ex media tantum parte proferente voces, secundum *Caram.* & *Pelliz.* n. 88. satisfacit, quia hic à natura & Ecclesia dispensatus

est ad omittendam partem Officii : sed probabilius est illum quidem blæsum satisfacere , te autem non, nisi sit necessitas cum illo orandi , quia ille excusatur per impotentiam aliter recitandi , tu autem non, cum possis aliter commodè totum recitare.

1297 §. IV. Qui partem suam submissè orat & attendit ad alteram partem chori , satisfacit præcepto dicendi Horas, *Suar. Bonac. Bass. Fill. tr. 23. n. 195. Tamb. n. 15.* An autem per hoc lucretur distributiones, dictum est à n. 878.

1298 §. V. Sufficit, si socius recitet omnes antiphonas, capitula, responsoria, lectiones & orationes, dummodo alter tantùm audiat , quia sic etiam fit in choro, *Regin. Fill. Bonac. Arnaud. Tamb. §. 3. n. 10. Stoꝝ supra.* Imò etiam eum satisfacere, qui solus per se recitat omnes psalmos, & ab alio audit 9. lectiones, docet *Pelliz. n. 91.* , sed meritò contradicit *Diana p. 9. Tr. 7. R. 38.* , sicuti enim non satisfacit, qui continuatam mediam partem Horæ orat, & alteram mediam partem audit à socio, ita nec hic: Ratio utriusque est, quia non licet aliter uti privilegio recitandi cum socio, quàm prout Ecclesia concedit, & admittit consuetudo, non est autem concessio Ecclesiæ aut consuetudo sic recitandi : hinc *Gob. n. 691.* , postquam proposuisset utramque sententiam, sapienter subdit, *ego in tantis rebus novitatem ac singularitatem non probo.* Similiter si quis alternatim recitarit psalmos cum uno socio , non potest audire lectiones à tertio, uti fateretur *Pelliz.* , quia sic in tertium recitarentur Horæ, quod est alienum à praxi Ecclesiæ. Potest tamen quis aliqua cum socio , alia solus recitare, *Pelliz.* Et possunt etiam lectiones singulæ juxta numerum sociorum dividi, v. g. novem lectiones in novem socios, *Suar. Az Stoꝝ supra.*

1299 §. VI. Probabile esse putant *Tamb. n. 14.* alique apud

apud *Pelliz.* n. 42., eum satisfacere, qui cum externa tantum devotione assistit toti Horæ à Musicis decantatæ, sed tenendum est oppositum, uti etiam inquit *Tamb.* n. 17., quia talis audiens non orat vocaliter, nec orationem illam Musicorum facit suam, cum non alternet cum illis.

§. VII. Per organum vel socios suppletur, si non satis percipis ea, quæ leguntur, dum thurificas, quæris psalmos &c., unde non est opus te postea supplere, *Suar. Vasq. Escob. Regin. Caram. Laym.* l. 4. T. I. c. 5. n. 7. *Diana* p. 2. T. 12. R. 13. *Bonart.* l. 2. c. 37. *Gob.* à n. 706. *Illf.* T. 5. n. 39., item licet psalmus integer dicatur, dum tu tussis vel excreas, vel sanguis è naribus fluit, *Sanch. Gob.* supra. Etiam illum excusat *Diana*, qui choro canente prælegit lectionem, ne errer, quod admittunt *Sanch. & Escob.*, si alioquin fuisset erraturus. Addunt *Nav. & Bonart.* posse aliquem sine obligatione aliquid repetendi inter canendum obiter salutare venientem, aut uno alterove verbo necessario alloqui alterum.

§. VIII. Nimia celeritas causans ut socius non possit verba satis percipere & attendere, est ordinariè veniale tantum, neque obligat ad repetitionem, *Fill. Bass.* Si tamen secundus incipiat, priusquam alter versum absolverit, idque fiat in magna quantitate, non satisfacit, quia quæ simul proferuntur, non constituunt orationem ab Ecclesia præscriptam, quæ essentialiter debet esse successiva & habere unam partem post alteram, *Tol. Regin. Bonac. Castrop.* p. 3. n. 9.

Q. 210. Quid addendum sit circa mutilatam recitationem. R. Seqq.

§. I. Tunc dicitur quis mutilare, quando vel immutat vel absorbet aliquas syllabas aut literas, nec ita articulatè exprimit, ut ab audiente intelligi possit